

P R Æ F A T I O.

lium æstimatio) seorsim non obtinuit; præcipua tamen eorum quantorum sic inter numeros familiariter hæcenus habita, cum in vitâ civili frequentius ac ulla quadrata, ullive circuli, sub incudem æstimationis revocari soleant, omninò merentur, ut ipsius moralis æquæ (si non magis) ac naturalium quantitatum vim perpendat Mathematicus, tum, ut, quæ communia sunt omni Quantitati, communi omnium suffragio definiat; tum, ne quam objecti sui speciem, præsertim in vitâ civili totis diebus occurrentem, minus familiariter perspectam habeat: Taceo, quod cavendum ipsi sit, ne, quibus regulas suas illustrari videt, exempla regulis ipsis multò sibi sint obscuriora.

Sed ubi Quantitatis hujus indolem scrutandi locum invenies commodiorem, quàm si Juris Romani, quod in imperio nostro maximam partem hodieq; viget, penetralia, moralium ejusmodi quantorum amplissimam sedem, propiùs accedas, imò penitiùs ingrediaris. Hic enim non est, ut profundè quasi latentia quæras hujus Quantitatis specimina: in aprico posita sunt, & tantâ quidem copiâ passim extant, ut intrepidè ausim affirmare, Titulorum, in quibus nulla Quantitatis moraliter definita mentio fit, in toto Juris Corpore vix totidem inveniri, quot Thebarum portas: plerosque contrà esse, qui, quod rubrica promittit, non indeterminatè tantum & denominatè, sed determinatè, ut quanti quodvis sit appareat, definiunt & eloquuntur: Multos esse, qui toti quanti quanti sunt, de quantitate civili modulo ac pede æstimandâ formaliter agunt. Loquantur hoc imprimis, ut aliquos tantum recenseam, Tituli: Finium regundorum, Familiæ herciscundæ, Communi dividundo, Si mensor falsum modum dixerit, Si pars hereditatis petatur, de Condiçione indebiti, De impensis in res dotales, ad L. Falcidiam, ad